

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską**

Rękopis Biblioteki Opactwa Św. Floriania Austria (Stiftsbibliothek St. Florian), sygn. 551/XI, k. 56–56v

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 114 cz. 1 [Gn. 111]

[114 cz. 1] Nunc dicetur quamdiu Imperium steterit potencialiter absque permutacione usque Greciam a tempore Darii Secundi, aut ultimi, quem rex Allexander Maximis ac sediciosus devicit bellis. Tunc transmutatum fuit imperium a Babilonia et stetit in Constantinopolim [s] usque ad illud tempus, quod [s] se Roma de Imperio intromisit, et potencialiter obtinuit usque ad presens tempus ex parte beati Petri, qui caput est Christianitatis. Cum Inperium Romam versum fuisset, ibi stetit, ut patet in premissis. Tunc Christiani absque iure steterunt aut fuerint, idcirco quivis pro sua in terris facieba[t] voluntate, aut quid facere poterat aut perficere, et hoc absque querela permansit et per iudicium inultum, quia nullum fuit ius, ubi quis consequi posset, et usque ad id tempore perseveravit, quo se Roma de imperio intromisit. Et ipsi ibi venerunt et iusticiam consecuti fuerunt, et ibi exhibuerunt manus, unde manupacem optinuimus usque in presens. Tunc Romani convenerunt et decreverunt deliberando, quomodo sibi regna subiugare possent. Et omnes una manu consensu et pari consilio concordaverunt, quod edificarent castra in terris, unde terras sibi subiugare possent. Et cum hoc fecissent, tunc arbitrati sunt, quomodo castra confortarent, ut ipsis esset in iuvamen. Et illos acceperunt, qui nomen militare habuerunt, et eos super castra locaverunt cum tali iure, ut usque in hodiernem tempus ius castrense tenet in castrensi feodo. Extunc deliberaverunt, qualia statuta et ius terris constituere vellent, et terris tale ius constituerunt, quale adhuc terra Saxonie protestatur, per imperatorem Constantinum et per imperatorem Karolum. Nunc audire et intelligere potestis pro principibus [k. 56v] ac baronibus, et hiis omnibus, qui nomen militare digne sortiuntur, quomodo ipsi cum Romanis sint arbitrati, quod scire vellent, quo iure principium deberet permanere. Et statuerint regi ius cum consilio, quod ipse sedem regiam regere debeat ex parte beati Petri cum gladio temporalis, unde adhuc advocatus Romanus appellatur. Idcirco vitam demereri non potest, nec in suo honore debilitari, nisi tribus de causis, que patebunt in sequentibus. Quorum primum est, si sedem Romanam destruere vellet. Secundum est, si contra fidem faceret Catholicam staret. Tercium, si legittimam sine reali causa dimitteret uxorem. Quorum unum trium horum de uno convictus fuerit, quod absit, extunc deberet iudicari, caput sibi deberet amputari cum aureo dolabro, propterea quia ipse est rector gladii temporalis, cum quo habet iudicare omnes hos, qui noxam fecerint, aut qui caput demerentur. Et insuper omnibus comisit, qui iudicis nomine censentur, cum eo protegere viduas et pupillos, et domos Dei, et omnes iniurias humiliare et iusticias confortare. Insuper iudicium commisit omnibus iudicibus temporalibus, sive secularibus, cum eo iudicare super omnes hos, qui in maleficiis deprehensi fuerint

in facto manifesto, ad iudicium deducti et convicti fuerint, ut ius dictaverit. Ibi omnes iudices iudicare debent soli, vel preco ipsorum loco, ut iudices habent temporalem gladium a rege. Eodem modo sacerdotes spiritualement gladium habent ab Apostolico. <Nota^a> Nunc attendatis, quis imperatorem iudicare debeat, sed ex hiis tribus premissis in aliquo convictus fuerit. [¹] Hoc facere debet Sacri Imperii Renensis palatinus, qui imperatori ac Imperio ex arbitrio positus fuerat. Simili modo, ut palatinus imperatorem debet iudicare, eodem modo iudicet burgravius marchionem pro suo excessu, et scultetus burgravius.

^a na marginesie ręką autora tekstu głównego

Noty użytkowników

¹ na lewym marginesie, ręką odmienną od autora podstawy: De imperatore iudicando

[hasła: Grecja, Dariusz II, Konstantynopol, Aleksander Wielki, cesarstwo, św. Piotr, Cesarstwo Rzymskie, chrześcijaństwo, Chrześcijanin, sąd, Rzym, rzymianin, zamek, zgoda, rada, prawo, Saksonia, Konstantyn Wielki, Karol Wielki, książę, baron, miecz, katolik, wdowa, sprawiedliwość, gorący uczynek, palatyn reński, marchia, burgrabia, sołtys, cesarz, lenno]